



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554264-p0001-0

DFG




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554264-p0002-6

DFG





1668.

1. Broderlo, Bartholomaeus : De numero, quem Platos
ribus p[ublicis] patalem statuit.
2. Crumerus, Martius Zacharias : De artis excellentia
3. Eckelius, Amatus : De jure statutis vulgo
statuto.
4. Eckelius, Amatus : De affectione iuridica.
5. Eckelius, Amatus : De Publiciana.
6. Eckelius, Amatus : De jure sequelae. vulgo
Folge oder Zug.
7. Henningius, Georgius : De Thesauris.
8. Heckelius, Jak. Fried : As 6:itum s, t, formicis
oscula ad m. Herre
9. Loder, Jacobius Albertus : De subscriptione
10. Meyerus, I. Ulricus : De questionibus.
11. Menckevius, Otto : De acquisitione originaria
jures in personas.



1668

12. Maclius, Titus, pae. iur. procuratorius: Lecturis
salutem / Programme, quo ad actionem sollemnem Gottu
rus Iherii, Martinus Zacharie Crumri et rega... . 25.
invitat.
13. Witzschus, Fr. Torsus: De repressaliis 26.
14. Romanus, Paulus Franciscus: De Rueri - Morata 27.
15. Romanus, Paulus Franciscus: De pactis
16. Romanus, Paulus Franciscus: De praescriptionis 28.
- bus.
17. Romanus, Paulus Franciscus: De cambio 29.
18. Romanus, Paulus Franciscus: De dardanariis
19. Romanus, Paulus Franciscus: De mutatione 30.
20. Romanus, Paulus Franciscus: De calculo binervale.
21. Romanus, Wilhelm: De amore
22. Schader, Kursivus: De hereticorum familiis
iudicio. 31.
- 32.



1668

23. Schreyfleischius, Amatus Saal: De indicis
24. Schreder, Henricus: De dominio eminente
25. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus: De esse-
curatione.
26. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De cessione bonorum.
27. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De usucaptione pro herede.
28. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De mortuis
29. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De jure vasall's reali.
30. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De communicatione
31. Sprendværferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De confessione catholicoicula.
32. Sprendværferus, Georgius Tobias: De mortis
causa donationibus.



1688.

33. Schwenckendorffanus, Georgius Tobias : De compa-
tione obligacionum.

37. Tellus, Romae : De obligacione floruum in
peuro.



3371.

M
Mab8, 12

PROCANCELLARIUS
TOBIASMOEBIUS,
J.U. DOCTOR, FACUL.
TATIS JURIDICÆ ASSESSOR,
ET CURIÆ ELECTORALIS ET
DUCALIS PROVINCIALIS ADVO.
TUS ORDINARIUS.


Lecturis Salutem.

De Theologicis, quæ in Corpore Junij
occurredunt.



2011A LIPSIENSIS
CATHOLICAE
OCTOBER 1800
ROSSA FIDUCIA
TEORIA
ON THE
MATERIAL
WORLD
AND
THE
Spiritu





Vod Sol in Cœlō, ra-

tio in homine, oculus in capite,
gubernaculum in mari, auriga in curru,
id Jurisprudentia est in Republicā, &
leges in societate civili. Nam ut Sole
obscuratō tristissima nox diem opacat,
ratione conturbatā homo in domicilio
suō exulat, oculō erutō caput, & totum
corpus vacillat, gubernaculō rupto navis pericula naufragiorū
singulis momentis expectat, iratō mari sortem cum usu-
ris pensura, aurigā excussō currus ad interitum curriculo currit:
sic jure, legibusq; ex hominum societatibus depulsis, & valere
jussis, ut ipsæ tandem pessum eant, Imperia, atque Republicæ
corruant, dissipentur, aut in spoliaria generis humani degener-
rent, necesse est. Regina itaq; hominum, & omnium, qvæ cœlo
terraq; continentur, Imperatrix Augustissima, Diva Numinis
æterni Vicaria, Justitiae internuncia, & Interpres est Jurispru-
dentia. Hinc Jurisperitos non lingua venalis, non parasitus
venter, non plausus sportulâ redemptus, sed ipsa Lex à vulgō
segregat, & ingenti honoris incremento auctos Clarissimorum
Virorum numero inserit. Nominis hujus is respectus, ea am-
plitudo est, ut non solum cum Pedario Senatore, sed & cum Cu-
ruli nobis sit commune. Nulla enim potestas reperitur, nul-
lum Imperium, qvod non Clarissimi nominis ambitu contine-
tur. Ædilis, Prætor, Præfectus, Consul, ProConsul, & si qui
alii Majores Magistratus, Clarissimi Ordinis Viri sunt. Cum
his felici societate Jurisperiti jungimur, ac licet Imperii exor-
tes,

tes, ordinis tamen consortio gaudemus. Qvam ringit Regulus
ille cerdonum: Ego, inquit, plus possideo qvam decem togati;
intra mea rura milvi fatigantur, agriqve modus vix ipsi Villico
satis notus est. Expectent ergo Togati; Me antesignare,
Me thoro meliore fulciri decet. Sed qvis oculus mentem tibi
fascinat? Non hic fortunæ, sed virtutis certamen cernitur. Te,
qvia virtute cares, à præmiis virtutis leges arcent, & edictum
theatrale in extremâ cavea spectare jubet. Non tu Cornelias,
non Visellias leges times? Quid, cum ex retrimentis Romuli
sis, per dolum & fraudem in alienum ordinem irrepere satagis?
Quid tibi cum Scævolâ? quid cum Cascellio? cur Trebatiis es
molestus? spectant hi in ipsâ orchestrâ, nec qvisqvam fuscita-
torem timet. Meruerunt enim in podio locum magnâ virtute,
& infracto labore cessit in theatrō spectandi prærogativa. Et
sanè si honor virtutis præmium est; & ubi ingentia in Rempu-
blicam merita sunt, ibi dignitatis apex esse debet, qvis Jurisperi-
tis potest anteferri? Jus enim Justinianeum promittit suis cul-
toribus divinarum atq; humanarum rerum notitiam, justi atq;e
injusti scientiam, non vulgarem prudentiam, nec politicam spe-
cialiem; sed talem, cui partes Reipublicæ administrandæ tutò
committantur; nempe postqvam in ipsa rerum triturâ se eru-
ditos νόμων, καὶ πειρα. Nov. 82. præf. ostenderint, ut Juris non tan-
tum verba norint, sed mentem etiam, atq; intellectum. l. 17. ff. de LL.
qvem non solum in thesi cognoverint, sed & in hypothesi pru-
denter applicare allaboraverint. Sic enim ipse Cicero lib. 1. de
Orat. Jurisconsultum definit: virum bonum, legum, & morum
non simpliciter peritum (qvomodo qvemlibet Civem leges nos-
se oportet, l. 9. C. de LL. l. 12. C. de Juris & facti ignorantia) sed ad agen-
dum, cavendum, atq;e respondendum. Nec enim boni, & æqui
tantum notitiam profiteri, sed & actu ipso æquum ab iniqvô se-
parare, licitumq;e ab illicito discernere eum oportet, qvi no-
men sacerdotis Juris cupiat tueri. Siqvidem, ut apud Theolo-
gos alia est scientia communis & popularis, qvam Augustinus

lib. 4.



lib. 4. de Trinitate cap. 1. vocat ejus, qvod homo credere debeat, alia
est accurata ejus, qvemadmodum hoc fiat; Ita apud JurisCon-
sultos aliud est scire τὸ ὄτι, qvid superiores sanciverunt; qvæ
scientia à qvolibet cive exigitur. d. l. 12. C. de Jur. & facti ignorantia;
aliud verò est insuper nosse τὸ διότι, l. 2. §. ult. ff. quis ord. in bon.
possess. serv. Et cum statim in frontispiciō Institutionum, & Di-
gestorum Jurisprudentiæ definitio occurrat, qvæ non humana-
rum tantum rerum, sed & divinarum notitia dicitur, ergo illam
ipsam, quantum ad Justi, injusti; cognitionem sufficit, Nomo-
thetæ studiosis tradere debent. Qvā in parte cautè accipien-
dum existimo Cujacii nostri hypomnema, qvod in oratione de
confessione, ubi scilicet scenæ suæ inservire cogebatur, protu-
lit, statuens Jurisperitum, ut quemlibet alium de populō, implica-
tam tantum, & involutam habere debere divinarum rerum noti-
tiam, non explicatam & enucleatam, qvam sibi meritò vindicant
Theologi. Qvamvis enim amplior his notitia meritò relinven-
da sit: attamen JurisConsultis, si Jurisprudentes dici, & qvid
circa res divinas justè agatur, dijudicare velint, omni studiō enu-
cleata investiganda. Brissonius lib. 4. select. antiq. cap. 16. Idem vel-
le videtur Justinianus in No v. 30. c. 9. §. 1. præf. & Nov. 113. c. 1. Justi-
tiam & Jurisprudentiam eo nomine vel imprimis laudat, nihil-
que tam studiosum in omnibus rebus afferit inveniri, qvam le-
gum auctoritatem, qvia divinas & humanas res benè disponat,
& omnem iniqvitatem expellat. Hinc non planè irritò conatu
laborasse mihi visi sunt, qvi convenientiam, quantum qvidem
materiæ qualitas admittit, literarum sacrarum cum jure humano,
& philosophiâ practicâ qvæsiverunt, & ita omnibus modis suam
professionem propriùs ad Majestatem juris Divini transferre, &
sic simul uno labore in ambobus se exercere, & qvod in prover-
bio dicitur, unâ fidelâ duos dealbare parietes laborarunt, qvâ
intentione superioribus annis de Theologiâ Juridicâ tractatus
Maximiliani Sandæi, Epitome Jurisprudentiæ Christianæ Con-
radi Heresbachii, & Pauli Windeckii de Theologia JurisCon-

sultorum libri duo in lucem prodierunt. In specie tentarunt collationem Juris Mosaici, & Romani Petrus Pithæus (aut potius aliis vetus scriptor Licinius Ruffinus, ut putant Freherus lib. 1. parerg. & ita eum allegat Rittershusius in Comment. ad l. 12. tabul. pag. 68. & 213.) post Pithæum idem conatus est Guilielmus Velvod, & Theodorus Beza. Post hos collationem instituit Lælius Manzinus, & ante illum Franciscus Raguel, Abraham Saurius, ejusq; filius Conrad Gerhardus, idemq; Alstedius in Encyclopædia. Convenientiam etiam legum græcarum Solonis, Dracōnis, & Romuli ex 12. Tabulis cum jure divinō instituit Pandolphus Pratejus. Ethicam, & Politicam Christianam scripsit Lambertus Danœus, Otto Casmannus, & Johan Adolphus Scribonius, & nuper Politicam Christianam edidit Carolus Scribanius Lovaniensium Professor, ut & Johannes Angelus à Werdenhagen. Cæterum, ut rectè intelligar, mens & scopus meus eò non collimat, ejusmodi harmoniam Juris divini & humani qværere, qvæ nullo modo vacillet: sed potius, qvemadmodum Juris Consulti, si jura Cæsarea nocturnâ, diurnâq; manu versantur, non malè agunt, aut horas inutiliter collocant, si & ea privata operâ extrahant, qvæ ad velificationem Juris Divini & illustrandos locos Theologicos faciunt, planè tali, & eòdem modō, qvô alias Theologi in Philosophorum vireta secedunt, & quid ibi proficuum, & non nocitum, feligendo pulpitis suis Theologicis includunt. Hinc Imperator non tantum ad sacra provocat, Nov. 8. in præf. circa finem, sed & Pontifex qvandoq; legem divinam allegare solet, cap. 27. X. de Elect. Nec immerito, qvia authoritas Cæsar is, ac Pontificis Sacræ Scripturæ cedere debet. Mascard. de prob. concl. 191. n. 10. Qvām peritum in Jure Divinō oporteat esse Juris Consultum, primus liber Codicis Justiniane, & Theodosiani lib. 16. aliæq; studii nostri innumeræ sanctiones satis superq; evincunt. Jus Pontificium, qvod magnam Theologiæ partem continet, jure nostrum est, & ex eō cluemus Juris Utriusq; Doctores. Universum Jus Ecclesiasticum,

cum, seu sacrum nostræ est scientiæ objectum. Apud Românos itidem conjuncta olim fuit scientia divini, & humani juris l. 1. §. 2. ff. de *Justitia & Jure*, & nullus in pretiô habitus fuit Juris-Consultus, omnia qvi non divina, & humana simul cognitione fuisset complexus. Don. lib. 2. comment. & ibi Hillig. cap. 4. Gothofr. ad l. 10. ff. de *Justitia & Jure*. unde Valerius Maximus l. 8. c. 8. Scævolam benè, ac diu jura civium, & ceremonias Deorum ordinasse scribit. Artejus quoque Capito fuit Juris Divini, & humani, scientissimus, teste Tacito lib. 3. Annal. Præterea testatur Tacitus 5. Annal. Coccejum Nervam fuisse Utriusq; Juris scientem. Barn. Brisson. lib. 4. antiq. Jur. cap. 16. & Vellejus Paterculus Domitium Scævolam Divini humanique Juris auctorem celeberrimum nominat. Et cum religio sit rerum publicarum vinculum, fulcrum & fundamentum, prout docet Grotius lib. 2. de *Jur. Belli & Pacis* cap. 2. §. 44. coagulum item omnis societatis, & fundamentum legislationis, utiq; is valdè peccaverit tum in commoda publica, tum in Majestatem Imperantis, qvi eam in alterius, quam Imperantis tutelam collocaverit. Utiq; cui salutis publicæ summa commissa est, ei quoque convenit committere illa, sine qvibus salus Reipublicæ non potest procurari. Arnis. lib. 2. de *Jur. Majestatis* cap. 6. n. 4. Sed dum rectè hæc ita traduntur, faceant negotium alii, & partim in excessu, partim in defectu errant. Matthæus Stephani in *interpretat. Cod.* statuit, per Res Divinas in l. 10. §. 2. ff. de *Just. & Jure*, non intelligi Theologiam, aut Doctrinam de Deo veram, & sacris literis conformem, cum horum verborum autor sit Ulpianus Christianorum hostis infensissimus; & hōc modō omnia vana, & irrita essent, qvæ hactenus in medium allata, qvod ante illum Borchold etiam in præfatione primâ ad Institutiones oppugnavit. Sed respondeō, res divinas diversō modō intelligendas, vel qvatenus scilicet sub mandatum Magistratūs cadunt, vel qvatenus in docendo consistunt. Regimen enim rerum sacrarum aliud est cum Imperiō conjunctum, aliud sine Imperiō voce, & solicitudine Pastorali expeditur. Illud est

Impe-



Imperatorum, Regum, Principum, Statuum, & qvi ab his pen-
dant, atqve constituuntur, Magistratum. Hoc verò Episco-
porum, qvi ideo potentiam, & Imperium habentibus opponun-
tur. Pastores sunt constituti ad docendum, non ad Imperan-
dum; *εἰς εἰς ἀρχὴν, εἰς ἀυτοῖς*. Regimen illud potestas ci-
vilis, hoc Ministerium Ecclesiasticum dicitur. Dum autem di-
cimus, qvod Imperatores, & alii Principes de rebus Ecclesiasticis
edicere possint, consilium Sacerdotum nequaquam excludimus,
sed supponimus exemplo *l. 6. C. de SS. Ecclesiis & l. 8. C. de LL.* Theo-
logia etiam in Jure nunquam dogmaticè consideratur; sed
ἱγεμονίας, καὶ διοικητικῶς, administrativè, qvatenus Principes res
divinas decretis suis coli, doceri, hōc vel illō modō tractari san-
ciunt, seu secundum materiale, qvod multis scientiis commune
esse potest. Vel res divinæ in jure tractantur, qvatenus de
iis proposita *ῥηματικῶς* loqvuntur. Atqvi hōc modō in The-
ologiâ de rebus divinis non agitur; sed formaliter. Ergò Ju-
ris Consultus de rebus Divinis tractat, non ut Theologus, qvi sa-
cras literas ad Institutionem Christianam, ut piè erga Deum, ju-
stà erga proximum, castè erga nosmetipso vivamus: Juris Con-
sultus verò de iis per legislationem, & mandatum politicum.
Unde si Theologiam legislatricem ex jure nostro eliminare vel-
lemus, dicendum esset, Justinianum de Sancta Trinitate, Incar-
natione, Passione, Resurrectione, & Ascensione Jesu Christi, ut
& Spiritu Sancto non rectè, & Christianè statuisse, & leges illas
malo exemplo Codici infertas fuisse, qvod nemo sanus dixerit.
Pertinet eodem Epistola Theodosii ad Cyrrillum, ubi ait, Cæsa-
rei eīse muneris, curare, ut non solū pacificè, sed & piè subdi-
ti vivant. Nec prætereundum pronunciatum Demetrii Cho-
madeni, qvod habetur lib. 5. Juris Canonici Græco-Romani,
Resp. 2. ubi Imperator introducitur tanquam communis Ecclesia-
rum *ἐπιστημονάρχης*, qvi synodalibus præsideat sententiis, & ro-
bur illis indulgeat, Ecclesiasticos ordines componat. Et pau-
lò post scribit; solo sacrorum mysteriorum Ministerio exce-
pto,

pto, cætera pontificalia jura exactè Imperatorem repræsentare,
subditqve rationem, qvia unctus Domini sit, qvisqvis pro tem-
pore imperio præsit. Hinc omnes Imperatores longo ordine
à Constantino usqve ad Justinianum de rebus sacris edixisse,
& jura nostra, & historiæ faciunt testatum, nec Papicolaræ corda-
tiores audent diffiteri, ut ex Pagnino Gaudentio libro de *Justi-*
nianei seculi moribus cap. 4. pag. 5. patet. Nulla igitur est disciplina,
qvæ utrasqve res, divinas & humanas, benè disponit, & ab utris-
qve omnem expellit iniqvitatem, nisi Jurisprudentia. Theo-
logia qvidem propositis æternæ vitæ præmiis, & æternarum pœ-
narum minis eò tendit, ut homines ex laqueis Satanæ ad salutem
perducat æternam, docet pietatem sanctandam, docet potentiam,
docet Dei effectum paternum, docet alia ad evitandam pœnam
æternam necessaria. Sed, qvæ hîc est hominum malitia, & per-
vicacitas, pauci sunt, qvi pia monita seqvuntur. Itaqve opus
est Jurisprudentiâ, qvæ peccata adversus cultum Dei commissa
legibus vindicet, imperet, qvæ bona, prohibeat, qvæ mala, pro-
mulgeat leges ex Codice divino depromptas, unum Deum re-
ligiosè colito, Deos alienos non habeto, eum solum timeto. Et
cum Imperator Justinianus in hoc titulo de summa Trinitate sit
verè Catholicus mirari subit cur Alciatus *ad l. i. C. de summa Trinitate*
putet, eum utpote in Græcorum Ecclesia educatum statuisse in
l. 2. C. de Summa Trinitate, qvod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio
simul non procedat, sed ex Patre tantum. Attamen hoc ex ver-
bis d. l. non potest demonstrari. Nam positione personæ Patris
non excluditur Filius, sed potius comprehenditur. Spiritum enim
Sanctum, secundum Verbum Dei, & speramus & accipimus à Deo
Patre & Filio. Cui responsioni adstipulatur Julius Pacius in
Methodo, de Summa Trinitate, & Gothofredus, qvi dicit in *d. l. 2.* non
de processione Spiritus Sancti; sed saltē innui, à summo re-
rum parente sperari, & accipi Spiritum Sanctum, ubi tamen Fi-
lius non excludatur. Rectè tamen monet Cujacius, verbum spe-
rare in *d. l. 2. c.* interpretandum pro credere, id qvod ex *l. 5. & 6.*

B

C. d. l.

C. d. l. probat, ubi in Græco legitur, περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἑλπίδος,
quod latinè de fide, quæ in nobis est, quæ sit recta Christiano-
rum fides, vel quæ fidei nostræ sunt: & in l. 3. §. 3. C. de his, qui ad Ec-
clesiam configiunt, διδούμενος αὐτοῖς ἑλπίδος, quod latinè versum, da-
ta eis fiducia. Et quod Justinianus fuerit concors nobiscum in
hac sententia contra Græcos, ex edictō ejus de fide orthodoxā §. confi-
temur &c. patet; ipsum scilicet Spiritum Sanctum procedere ex
Patre & Filio, ut habet Canon Concilii Constantinopolitani,
quod Concilium probavit. Nov. 131. ubi quatuor illorum Synodo-
rum, Nicenæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, & Chalcedo-
nensis dogmata, sicut leges observari voluit, vide l. 4. l. 12. §. 1. C.
de SS. Ecclesiis, unde constat Imperatorem nostrum Justinianum
sacra dogmata in Articulo de SS. Trinitate piè & Christianè le-
ges sancivisse. In sacris autem, circa quæ summa potestas ver-
setur, dispiciendum. & Nov. 6. in principio dicit; Nos igitur
maximam habemus sollicitudinem circa vera Dei dogmata, &
circa Sacerdotum honestatem. Vera autem Dei dogmata docet
Imperator, dum agit de fide Catholica, & cæteris fidei Catholicae
articulis, in symbolis œcumenicis comprehensis Tr. T. C. de Sum-
mâ Trinitate, ubi approbat dum demum Pontificum Romanorum
fidem, si secundum Apostolicam, Evangelicamque doctrinam
credant, & Nov. 7. cap. ii. docetur, λειτουργία etiamnum Justinia-
ni tempore lectione Scripturæ, & exhibitione communionis ci-
tra ullam superstitionem, aut sacrificeationem peractam fuisse, ut
testatur ibidem Cujacius & Gothofredus. Docet porro Impe-
rator Justinianus in l. 4. & Rub. C. de Summâ Trinit. pacem & tran-
quillitatem, Ecclesiæ tuendam esse, & ut nemo de fide Catholica
publicè contendere (subaudi turbis coadunatis) id est, tumultu-
osè audeat, & ex Codice Theodosiano Tit. de his, qui de Religione
contendunt. lib. 16. Tit. 4. quod etiam ex Centuriâ Magdeburgensi in
pref. cent. 6. & 7. videre licet. Agitur etiam de rebus sacris, & re-
ligiosis §. 8. Inst. de rerum Divis. & Tit. Tot. ff. & C. de religiosis. Item
de Ecclesiis Sacrosanctis & Cod. Theodos. lib. 16. Tit. 2, de Episcopis & Clericis, ubi
ex

ex l. 16. & 24. Cod. Just. de Sacrosanctis Ecclesiis notandum, Patriarchæ Constantinopolitano τῷ πρεσβεῖᾳ τῆς τιμῆς, nempe πρωτοναῷδεῖᾳ, seu primam sessionem in Conciliis propter magnitudinem & celebritatem Novæ Romæ Urbis Constantinopolitanæ concessam fuisse, qvod Imperator Justinianus in l. 24. C. d. tit. his verbis denuò repetit: Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum caput est, qvod & videre licet ex l. 6. C. de Sacrosanctis Eccles. quamvis ex l. 8. C. de Summâ Trinitate, & Nov. 132. cap. 2. contrarium appareat, quas leges Fachin. lib. 8. controv. cap. 1. ita conciliat, ut Patriarchæ Constantinopolitanus Ecclesiarum omnium caput sit, quæ in universo sunt Tractu Constantinopolitanô, utpote, in quibus Pontifex sedis Apostolicæ Romanæ locum non obtinet, qvod videmus etiam ex l. 45. Cod. Theod. de Episcop. Eccl. & Clericis, & ibidem Jacobo Gothofredo, ex quibus tamen patet, Pontifici Romano vel Patriarchæ Constantinopolitano nullam προτασίαν vel præsidentiam, quæ solis Imperatoribus reservata, concessam; Primam tamen sessionem postea Papa in Conciliis impetravit. Et qvod Africanæ & transmarinæ Ecclesiæ Papæ nunquam subiectæ fuerint, ex Epistola Concilii Carthaginensis Sexti patet, quam scripserunt ad Cœlestinum Papam, quæ Epistola habetur Cent. 5. Magdeburg. cap. 9. Et cum ex legibus Romanis aptè pateat, hanc πρωτοκαθεδρᾶν ob Urbis Romanæ splendorem Pontificibus Romanis concessam fuisse, in sumum abit, qvod Iure Divino primatus aliquis fuerit ipsis concessus, qvod Papa tamen in l. hypobolimæa 8. C. de Summâ Trinitat. ex edicto Christi, pasce oves meas, Tu es Petrus &c. elicere pueriliter satagit, qvod benè pensculans Hadrianus Papa cum universâ Synodo potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam secundum Carolo Magno Imperatori ultrò concessit, can. Hadrianus 22. Dist. 63. Cujus exemplum secutus Leo Papa, Ottoni Magno eandem potestatem concessit, can. in Synod. 23. dictâ distinct. Hinc & Canon multi 12. Dist. 40. habetur; Qvicunque desideraverit Primum in terrâ, inveniat confusione in Cœlō, nec inter ser-

vos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit. Ulteriorius videre licet, quod de rebus, & Personis Ecclesiasticis in jure nostro tractandum ex Tit. de Episcopis & Clericis, & Episcopali audientia, ubi Doctores tradunt, nullam Clericis Jurisdictionem à seculari potestate transcriptam fuisse: Et primitivæ Ecclesiæ Doctores tantum Christianæ Religionis informatione populum excoluisset: Havemann in Tract. de Jure Episcopali, Tit. 2. §. 6. Postea tanquam arbitros controversias terminasse. l. 7. 8. 29. §. 4. Cod. de Episcop. aud. Porro tractatur de hæreticis. l. 2. §. 1. Cod. de hæred. Nov. 109. de Manichæis, Samaritanis. l. 5. 17. & 18. d. Tit. C. Ne sanctum baptisma iteretur. Item Tit. 8. Nemini licere signum Salvatoris Christi humi, vel in marmore, aut insculpere vel pingere. Item agitur Tit. 8. de Judæis & Cœlicolis Tit. 9. Item de securitate eorum, qui ad Ecclesias fugiunt. Tit. 12. in Codice Theodosiano lib. 16. Tit. 5. agitur de Aetionis, vel Aerianis, de Apollinarianis seu Apollinariis, de Apotacticis, Arianis, qui & Porphyriani dicti, Ascodrogitis, vel Tuscodrocitis, Audianis, Borborianis, Donatistis, qui & Montenses dicti, Encratitis, Euthysiastis, Euchitis, Eunomianis, Fotinianis, Trigibus, Hydroparastatis, Macedonianis, Marcellianis, Marcianistis, Meletianis, Messalianis, Montanistis, Nestorianis, Novatianis, Paulianis, Pepuzitis, Pneumatomachis, Porphyrianis, Priscillianistis, Protopaschitis, Sabbatianis, Saccoferis, Valentinianis & aliis. Ita de Sacrosanctorum Scripturarum versione optimâ ejusque licito usu legem tulit Justinianus Nov. 146. cap. 1. ubi Aquilæ versionem latinam admittendam suadet, reliquas vero excludit, de harum lectione dicit idem Nov. 133. cap. 2. posse nimimum quemlibet animam suam eadem corrigere, & rigare tradit quacunq; lingvâ legi posse, quæ sit nota Auditoribus. Qui textus licet de Monachis loqvuntur, ratione tamen generali omnes omnino homines correctione eâ indigentes stringit. Confer Nov. 7. cap. 11. & Nov. 58. 123. cap. 8. De nuptiis Episcoporum agitur Nov. 6. cap. 7. & Nov. 13. cap. 7. ubi dicitur, illum admitti debere, qui habuit uxorem ex virginitate; Ex Codicis vero Theodosiani l. 9. de Episc.

Episc. Eccles. & Cler. patet, Constantii seculô Clericos fuisse conju-
gatos, nec matrimonium impedimento fuisse Clericatui, qvod
etiam ex ipsô Jure Canonicô can. 3. 4. 11. dist. 30. & can. 8. dist. 31. & ex
Canone Sanctorum Apostolorum 5. videre licet. Et fatetur Innocen-
tius III. cap. 6. X. de Cleric. conjug. Ecclesiam Græcam votum con-
tinentiæ non admissile. Refutatur etiam Justinianus ab Impe-
ratore Leone, Nov. 283. Idem agitur de cœmeteriis & sepulturis
Tot. Tit. C. de Religiosis & sumpt. funerum, de cura educationis, & Insti-
tutionis in Scholis & Ecclesiis. Nov. 5. cap. 3. de Institutione &
conservatione Scholarum Tot. Tit. C. de studiis liberalibus urbis Roma &
Constantinopoleos. De Vocatione Ministrorum Ecclesiæ. l. 31. C. de
Episc. & Cler. l. 42. C. dicto Tit. ubi notandum, nec Pontificum Ele-
ctionem substitisse, nisi authoritas Cæsaris, vel Exarchi accessis-
set. can. 21. cum seqvi. dist. 63. cap. 2. X. de Major. & obed. De Papâ Ro-
manô, & Patriarchâ Constantinopolitanô agitur. Nov. 123. cap. 5.
l. 8. C. de Summâ Trinit. l. 24. C. de SS. Ecclesiis Nov. 131. c. 2. & seq. ex qvi-
bus licet videre, qvod Pontifex fuerit subditus Imperatoris. Qui
enim controversiam πρ. εδ. ias determinat, & quidem per mo-
dum legis, illum oportet utique superiorem esse contendenti-
bus, & potestatem in eisdem habere. De Cardinalibus nihil
habetur, qvia demum seculô X. innotuerunt Gothofredus ad
l. 6. C. de Episcopali audiencîa De Patriarchis Nov. 58. 123. cap. 9. & seq.
De ArchiEpiscopis Nov. 129. De Accusatione Cler. Nov. 123. cap. 2.
De Degradatione Nov. 42. in pref. De Conciliis & Synodis l. 47.
§. 4. l. 8. §. 3. C. de Summâ Trinit. l. 8. C. de Hæreticis Nov. 42. in pref. Nov. 123.
c. 18. Nov. 131. cap. 1. & 10. ubi potestas Concilia indicendi Imperatori
soli competit. Qvod etiam Libertinismus & Adiaphoria, seu
confusio Religionum & Syncretismus in Republicâ non sit te-
nendus, sed profligandus patet ex l. 1. & seq. C. de Summâ Trinit. Ibi
cunctos populos volumus in tali Religione &c. reliquos ve-
rò &c. Error enim, cui non resistitur, approbatur. Can. 5. Dist. 83. &c.
Docent hoc latius Doctores ad Tit. C. de Summâ Trinitate. Sic secu-
lô Constantis II. cum Imperator ille in gratiam Monotheleta-

rum edictō proposuisset, qvod peculiari nomine typum nomi-
nabat, in qvo jubebat utramque partem & orthodoxorum &
heterodoxorum de voluntate in Christō tacere, Consilium Eccle-
siasticum intercessit & typum hunc Impium damnavit, teste Ba-
roniō in annō 648. pag. 431. s. 1. & seq. Sed omnia, qvæ jura no-
stra de rebus divinis & sacris tractant, ut jam in medium produ-
cantur, pagellarum angustia non patitur. Curam enim Magistra-
tus Politici, in omnia & super omnes porrigi, ex jure nostrō no-
tissimum est. Sed qvorsum ista? Horum nimur, ut cuivis
pateat, divam Themidem, Jurisprudentiam nostram, magnam
convenientiam cum Sacrosanctā Theologiā habere, & qvod Ju-
risperitus, cum multa Theologica in Jure nostrō tractentur, abs-
qve scientiā Theologicā in jure feliciter progredi non possit, &
ambas istas scientias divinarum & humanarum rerum, hoc est,
religionem & Justitiam, duas esse sorores gemellas tam ardentí
amore se mutuo complectentes, ut ambo simul vivant, simul mo-
riantur, & qvi unam petit, alteram qvoq; invadat, qviq; unam
movet, ac concutit, alteram qvoq; labefactet, necesse sit. Hinc
Lutherus non semel neq; tralatitiè hoc scriptis suis insertum vo-
luit; nullum verum Juris Consultum se existimare, qvi non si-
mul sit Theologus, hoc est Juris divini æqvè amans, peritusq; ac
Civilis. Cum igitur Licentiati

GOTHOFREDUS STRAUS,
VVittebergensis.

MARTINUS ZACHARIAS CRAMER,
Northusanus.

JOACHIMUS ALBERTUS LOCHER,
Lipsiensis,

Jo-

JOHANNES ULRICUS MAYER,
Lipsiensis.

VVILHELMUS ROMANUS,
Lichtensteinensis.

Tales in Jurisprudentia, qvæ divinarum, & humanarum rerum
scientia est, ad severam normam explorati, digni reperti fue-
rint, qvibus post gradum Licentiatij impetratum jam supremus in
utrōq; Jure gradu conferatur, fini huic ea authoritate, qvam per

Reverendissimi, Serenissimi, Cel-
fissimiq; Principis ac Domini, Do-
MINI CHRISTIANI, Ducis SAXONIAE, Ju-
liæ, Cliviæ, ac Montium, Postulati
Administratoris Episcopatus Mar-
tisburgensis, Landgravii Thurin-
giæ, Marchionis Misniæ, ac utriusq;
Lufatiæ, Comitis, Marcæ, & Ra-
venspurgi, Dynastæ in Raven-
stein, Cancellarii hujus Academiæ,
ac Domini nostri Clementissimi

gra-



gratiosam delegationem consecutus sum, futurum diem Jovis,
qui erit 22. hujus Mensis Octobris, selegi. Rogo itaq; & solen-
niter invito **Magnificum Academiæ Re-**
Etorem, Amplissimos Civitatis
Consules, utriusq; Reipublicæ Pro-
ceres, omnes ac singulos, qui ordini nostro benè cupi-
unt, ut præsentia suâ hunc actum splendidiorem reddant. Da-
bo in id operam, ut hæc honoris & singularis affectus indicia
reciprocis officiis redhostire queam. Datum Lipsiæ,
die 18. Octob. Anno 1668.


Literis Johannis Georgij.



X2615893

K077





B.I.G.

FarbKarte #13



3371. *M 2*
PROCANCELLARIUS
TOBIASMOEBIUS,
J.U. DOCTOR, FACUL.
TATIS JURIDICÆ ASSESSOR,
ET CURIÆ ELECTORALIS ET
DUCALIS PROVINCIALIS ADVO.
TUS ORDINARIUS.

Lecturis Salutem.

*De Theologiciis, quæ in Corpore Junii
occurrunt.*